



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

23. S. Gregorius Martyr

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

306 XXIII. Aprilis. S. Georgii.

incendia rebelli minatus inferni, & ter-  
ruit impium : O quām verum : reddite  
Deo, quæ Dei sunt ! & Cæsari, quæ  
Cæsar is.

*Instructio meritoria.*

Hunc zelum , hanc in Deiparam pie-  
tatem exerceamus hodie, pro conversio-  
ne bæreticorum, & schismaticorum, of-  
ferendō septem psalmos pœnitentiale. Non  
semper sanguine, sed & precibū,  
& occultā pietate defenditur , atque ex-  
altatur Dei Nomen , & gloria.

Festum S. Georgii Martyris in-  
ter Quatuordecim Auxiliatores Pa-  
troni Potentissimi.

**EXHORTATIUNCULA I.**

**F**illi! & nos cum D. Georgio milites  
sumus Christi Jesu. Utinam in  
tribulationibus , & adversitatibus tam  
fideles, ut S. Georgius ! hunc nec bla-  
ditiæ, nec oblati honores separabant à  
Christo. Nos inter prospera qui su-  
mus? veri milites, si Dei, & cœli me-  
mores. Mundus certè non trahet, quo  
sibi rapuit Jesus.

ln-



*Instructio meritoria.*

Etiam tempore consolationis, & prosperitatis adhæreamus Deo, fugiendō omnem laxitatem, ac effusionem in sensibus. Ne cadamus, coram Sanctissimo Venerabili *quinq̄e Pater & Ave* cum Psalmo: *Deus misereatur &c.* Præmittamus recreationi, ut quinque sensus præsertim linguam, potenter custodiat. Portæ claudantur! & salva erit anima.

## II.

**U**T tueretur partes Jesu S. Georgius, quid agit? dignitatem, & munus tribuni abjecit, se publicè Christi Jesu professus militem, ac discipulum. Munera non morantur, nec retrahunt honores, quotquot viva fides, & ardens multa pro Christo patiendi irruit desiderium. O si & nobis desiperent honorum stultitia! In cœlo quæramus! in terris inveniemus nunquam. Summa dignitas, contempſisse omnia. Nec certior via ad honores, quam fuga honorum.

In-



*Instructio meritoria.*

Pro nutantibus in fide oremus symbolum S. Athanasii: *Quicunque vult salvus esse.* Cui unum, vel alterum humilitatis actum jungamus. Frater adjuvat fratrem. Languente membro in corpore uno, languet, sentitque & alterum. Ubi charitas nostra? perire, patiens, si benigna non fuerit.

## III.

**R**ota, gladii, lapides, & viva calprobârunt D. Georgii constantiam. Hæc, mi fili! solis firmatur adversitatis; deliciis verò emollitur. Nos ubi quærimus? Fortè inter dulcia? Quid mirum, si constantia tam debilis, & infirma.

*Instructio meritoria.*

In honorem 14. Auxiliatorum ad assequendam fortitudinem perfectam, patientiam, & humilitatem tempore tentationis, vel adversitatis oremus *Lyranias de omnibus Sanctis* cum 14. Pater, & Ave de iis ante somnum adhuc præmittendi. Cupiunt auxiliari: Sed non nisi invocati.

Festum

